

non posset posterius derogare priori, nisi in totum illud auferendo, quia non est major ratio de una parte quam de alia; eademque ratio procedit si utrumque sit speciale, vel etiam si primum sit speciale, et secundum generale, quia semper deberet speciale privilegium in totum auferri, quod fieri non potest. Et in his tribus comparationibus æque procedunt jura et rationes adductæ. Potest autem esse quarta comparatio, si prius privilegium generale sit, et posterius speciale, in qua est major difficultas. Nam ex una parte videtur idem esse dicendum in illo casu, quod, scilicet, posterius privilegium nihil valeat contra prius, neque illi deroget; tum quia etiam tunc præsumitur princeps ignorare prius privilegium, et consequenter posterius esse surreptitium, et non continere virtutem voluntatem principis derogandi priori; tum etiam quia per prius privilegium est jus acquisitum privilegiario, quod non censetur princeps auferre velle sine illius notitia. Atque hanc partem tenet Glossa in Summa, 25, quæst. 2, et in reg. *Generi*, de Reg. jur., in 6, et ex parte sequitur Panormitanus statim citandus.

7. *Privilegium speciale minuit generale.*— Nihilominus propter hanc comparationem posui alteram partem regulæ: nam speciale privilegium, licet non possit in totum auferre generale præcedens, nihilominus potest ex illa speciali parte minuere illud, et hoc modo probabilius censemus posse privilegio generali tacite derogari, per posterius speciale. Quæ sententia frequentius recepta est in dicto capit. 4, et in dicto cap. *Veniens*, et eam tenet Sylvest., referens Hostiensem, verbo *Privilegium*, quæst. 10. Et videtur expresse probari in cap. *Dudum*, § *Nos igitur*, et cap. *Quamvis tibi*, de Præbend., in 6, et in utroque allegatur communis regula, generi per speciem derogari, etiamsi in speciali nulla fiat mentio generalis, et declaratur in privilegiis etiam procedere: nam jura citata expresse loquuntur de privilegio speciali post generale concessio. Ratio vero esse potest quia princeps, concedendo generalem favorem, non censetur sibi auferre potestatem faciendi aliquam specialem gratiam, illa generali non obstante. Et ob hanc causam potuerunt Pontifices ita explicare mentem et concessionem suas; habet enim rationem satis congruam, quia illa non est contrarietas propria voluntatum, sed est quedam exceptio a generali gratia, quam exceptionem, seu potestatem ad illam faciendam voluit semper

Pontifex sibi reservare, sine dependentia ab expressione seu commemoratione prioris privilegii, ut satis aperte declaravit Bonifacius VIII in dicto capitulo *Dudum*.

8. *Ad primam in contrarium.*— Ad primam ergo rationem in contrarium, respondetur rationem ignorantiam non ita procedere in hoc casu; tum quia illa non est contrarietas voluntatum, et ideo nihil obstat prior voluntas quominus secunda sit valida; tum etiam quia illa ignorantia est tantum concomitans, quia non minus concederetur specialis gratia, etiamsi generalis venisset in memoriam, ut in dicto cap. *Dudum* dicitur; tum denique quia ipse princeps voluit ut illa scientia vel memoria non esset sibi necessaria, ut efficaciter posset specialem gratiam facere, non obstante priori generali. Ad secundam rationem, respondeo regulam dictam quoad hanc partem intelligi, sistendo in pura ratione privilegii, quod tantum concedit jus ad rem: nam si virtute prioris privilegii jam sit res acquisita et possessa tanquam propria, probabilissimum profecto est quod Panormitanus ait in dicto cap. *Veniens*, num. 11, quem alii sequuntur, tunc non procedere prædictam partem regulæ; quia non est verisimile voluisse principem præjudicium inferre tertiæ personæ in re jam sua, sine majori cognitione et examinatione causæ. Et ita explicata hæc sententia est valde rationi consentanea.

## CAPUT XL.

QUANDO INCIPIAT REVOCATIO PRIVILEGII SUUM EFFECTUM SORTIRI.

1. *De effecti revocationis.*— *Distinctio notanda.*— *Privilegia per publicam legem revocata promulgationem sufficientem expectant.*— Suppositis quæ de legum irritatione et abrogatione, et de concessionem privilegiorum in superioribus dicta sunt, breviter potest præsens quæstio expediri. Distinguendum ergo est inter generalem revocationem privilegiorum factam per publicam legem, et privatam revocationem alicujus privilegii; nam de illis diversimode censendum est, sicut de concessionem privilegii diximus. Primo ergo dicendum est, si privilegia per publicam legem revocentur, illam revocationem non habere effectum donec lex illa sufficienter promulgata sit. In hoc omnes statim allegandi conveniunt, et est clarum, quia ante promulga-

tionem nondum est lex illa vere et sufficienter constituta in ratione legis, et ideo non habet alios effectus legis; ergo neque hunc habebit.

2. *Promulgatio in curia principis sufficiens.*— *Sententia Soti et Medina.*— Secundo, addendum est unam promulgationem in curia principis vel in loco ad hoc constituto sufficere ad hunc effectum revocationis privilegiorum, sicut sufficit ad alios effectus legis, quando aliud non exprimitur in ipsa lege. Ita etiam sentiunt frequentius auctores allegandi. Et ratio est, quia ex natura rei non sunt plures promulgationes necessariae ad hunc effectum quam ad alios, ut per se constat, nec etiam leges humanæ aliquid circa hoc speciale disponunt; ergo. Dicunt vero aliqui in legibus canonicis revocantibus privilegia, consuetudine introductum esse ut sit necessaria promulgatio in singulis diocesisibus, ut privilegia maneant cum effectu revocata. Quod tenet Soto, l. 1 de Justit., q. 1, art. 7; et Medin. l. 2, quæst. 90, art. 4, post quintam conclusionem. Sed non constat de tali consuetudine, imo potius videmus quotidie fieri leges pontificias revocantes privilegia, ut Pius V et Gregorius XIII revocarunt privilegia ingrediendi monasteria monialium, motibus propriis ad hoc specialiter editis, et Romæ tantum promulgatis, nec jusserunt aut procurarunt alias promulgationes in singulis diocesisibus fieri, et similia exempla sunt frequentia; ergo signum est non esse necessarias tales promulgationes. Item sæpe fiunt alie leges pontificie directe ad alios effectus cum clausula, *non obstantibus privilegiis*, quæ ad illorum derogationem sufficit; et unica promulgatio Romæ facta censetur sufficere ad totam obligationem ejus et ad illius clausulæ effectum; ergo eadem promulgatio sufficit ad privilegiorum revocationem. Illa ergo sententia merito a posterioribus theologis rejicitur, quia fundamentum non habet; sicut etiam de lege irritante diximus, quia est eadem vel major ratio.

3. *Lex revocans privilegia non statim habet suum effectum.*— *Fundamentum contra assertionem.*— *Solvuntur fundamenta contraria sententia.*— Tertio, dicendum est legem revocantem privilegia non statim habere hunc effectum a die promulgationis, sed post tempus necessarium ad illius obligationem, quod regulariter est duorum mensium, licet pro curia soleat esse brevius, et pro locis distantioribus debeat promulgari, prout neces-

sarium fuerit ad humanam notitiam, ut supra declaratum est. Et ita etiam sentiunt Bart. et alii referendi. Ratio vero est, tum quia nihil speciale de hoc disponunt jura, nec ex natura rei cum fundamento cogitari potest; tum etiam quia idem dictum est de lege irritante, qui effectus est valde similis revocationi privilegiorum; tum denique quia lex revocans privilegium simul obligat ad non utendum illo; igitur non prius revocat quam possit obligare, et consequenter idem tempus ad utrumque requirit. Probatur consequentia, quia, moraliter loquendo, non minus conveniens ac necessaria est publica notitia legis, ut revocatio privilegiorum convenienter et sine publicis incommodis fiat, quam ut obligatio imponatur. Contra hanc vero assertionem sentit Franc. in c. *Ex parte*, de Concession. præbend.; putat enim a die publicæ promulgationis manere privilegia revocata, quando lex directe fertur ad illorum abrogationem. Fundatur in l. ult., c. de Decur., lib. 10, ibi: *Omnibus anterioribus modis, quos non comprehendit præsens sanctio, ex præsentis die antiquandis.* Et aliqui hoc maxime affirmant de legibus pontificiis revocatoriis privilegiorum, putant enim a die factæ promulgationis Romæ ita revocari privilegia, ut actus eorum non valeant, etiamsi propter ignorantiam sine culpa fiant. Ratio reddi potest, quia plus requiritur ad obligationem quam ad revocationem privilegii; quia illa pendet ex conscientia, et consequenter ex notitia legis; revocatio autem fit ab extrinseco per voluntatem revocantis, et ideo ad illam non est tam necessaria temporis dilatio. Sed hæc parum urgent: nam in illa lege particula illa, *ex præsentis die*, secundum jus et debitum ordinem intelligenda est; alioqui etiam posset intelligi ex die conditæ legis in regio consilio. Unde ad rationem dicitur, verum quidem esse notitiam legis magis ab intrinseco esse necessariam ad obligationem legis quam ad effectum revocandi, quia revera fit per extrinsecam voluntatem; nihilominus tamen, ad convenientem ordinem et ad vitanda publica incommoda, moraliter necessarium esse ut revocatio non fiat nisi tali modo, quo possit commode ad privilegiatorum notitiam pervenire, et ideo, secundum jura et rectam rationem æque expectari tempus sufficiens ad divulgationem legis, ad revocationem privilegiorum sicut ad legis obligationem.

4. *Lex sortitur effectum post debitum tem-*



*pus, licet invincibiliter ignoretur.* — Quarto, lex revocans privilegium effectum hunc sortitur post promulgationem, statim ac elapsus est tempus sufficiens ad communiter obligandum, etiamsi in particulari invincibiliter ignoretur. Hæc assertio non est quidem certa, videtur tamen probabilior et fere consequens ad dicta, quia hic effectus non pendet per se ex scientia subditi; ergo ex natura rei sequitur ex lege perfecte promulgata et de se omnibus sufficienter proposita, et ex positivo jure non differtur; ergo statim fit. Confirmatur a simili de effectu irritandi actum qui non impeditur propter ignorantiam, ut supra ostensum est; est autem maxima similitudo in revocatione privilegii, et nulla sufficiens ratio differentie reddi potest. Confirmatur secundo, quia supra ostensum est privilegium per legem concessum, post sufficientem promulgationem et evulgationem legis, non obstante ignorantia, habere suum effectum, qui ab actuali notitia privilegii non pendet; ergo idem, e contrario, dicendum est de lege revocante, cum revocatio a notitia privilegiati per se non pendeat. Tandem leges communes attendunt quod est per se et morale, non vero ea quæ sunt rara et per accidens, qualis in præsentis est illa ignorantia.

5. Contra hanc vero assertionem allegari solent Panorm. in c. 1 de Const., n. 12, et Felin., n. 7; sed illi loquuntur de privilegio ipso, et dicunt non prodesse privilegiario donec habet notitiam ejus. Et illud vel solum habet verum in privilegiis privatim concessis, non communi lege, vel intelligendum est de usu privilegii, qui pendet ex notitia habentis illud. In quo non est eadem ratio de revocatione. Allegari etiam possunt contra assertionem alii auctores qui indistincte dicunt privilegium vel gratiam non expirare propter gratiæ revocationem, donec de revocatione certus fiat qui illam habebat. Ita docet Sylv., verb. *Gratia*, n. 4, et verb. *Indulgentia*, n. 17, cum Geminiano in c. 1 de Concession. præbend., in 6; et sequitur Armil., verb. *Gratia*, n. 6, et idem sentit Cordub. in Quæst., l. 4, quæst. 36, concl. 3; et possunt pro hac parte allegari omnes qui dicunt jurisdictionem vicarii, vel delegati, non tolli per revocationem donec illi intimetur, quos refert late Sancii., lib. 3 de Matrimon., disp. 30, n. 11. Dico tamen hos auctores loqui de revocatione facta ab homine, non a lege, et ita non procedere contra assertionem positam: nam est longe diversa ratio, ut dicam

in sequenti puncto. Adde vero propter incommoda vitanda, si contingat aliquem uti privilegio, sic revocato, ex ignorantia publica et communi, et usum privilegii pertinere ad jurisdictionem, vel ad aliud simile munus publicum, tunc actum sustineri et esse validum non in vi solius privilegii, sed adminiculo juris sustinentis similes actus factos titulo publice reputato ac tolerato, juxta l. *Barbarius*, ff. de Offic. prætor., et ita vitantur incommoda publica; privata vero minoris considerationis esse possunt, cum sint valde accidentaria, et casus justæ ignorantie possit esse rarus, supposita tanti temporis promulgatione.

6. *Revocatio ab homine seu privatim facta, quando sortitur effectum.* — *Differentia inter hanc et præcedentem conclusionem.* — Ultimo, dicendum est revocationem privilegii ab homine, seu privatim factam, non habere effectum antequam privilegiato specialiter intimetur, seu ad ejus notitiam perveniat. Ita sumitur ex allegatis auctoribus, et ex aliis quos retuli et secutus sum in materia de Indulgent., disp. ult. quarti tomi, sect. 2; et quamvis hoc non sit in jure declaratum et pendeat multum ex intentione revocantis, nihilominus communis usus et communis sensus doctorum ita interpretatus est mentem Pontificis vel principis revocantis privilegium. Ratio vero reddi potest, quia, per se loquendo, necessarium est ad convenientem modum revocationis privilegii ut fiat in ordine ad notitiam utentis privilegio, quia ex alio modo revocationis plura sequerentur incommoda, et ideo non est verisimile esse intentum a principe. Sed in privata revocatione non est alius modus per se ordinatus ad dictam notitiam, nisi propria et specialis intimatio; ergo sub hac conditione seu habitudine intelligenda est revocatio. Unde colligitur differentia inter hanc et præcedentem assertionem: nam revocatio privilegii facta per legem habet definitum modum quo per se possit ac debeat publicari et divulgari, ut in aliorum notitiam possit pervenire, et ideo illa notitia publica per se sufficit, et particularis ignorantia, quæ per accidens est, non consideratur. At vero revocatio privata non habet per se alium modum promulgationis, neque illum postulat, et ideo per se expectat singulorum intimationem. Et potest hoc confirmari ex dictis supra in simili de concessione privilegii; ubi simili distinctione usi sumus, et diximus privatim concessum non operari donec intimetur ei cui datur;

ergo idem de revocatione dicendum est: nam, licet ex ea parte qua non requirit acceptationem, non sit tanta necessitas, tamen ex alia qua continet rigorem et periculum, videtur esse quodammodo major.

7. *Dubium.* — *Resolvitur dubium propositum.* — Sed quæres an necesse sit revocationem notificari per nuntium ad hoc missum, vel rescriptum revocantis, vel sufficiat, quod notitia ad privilegiarium perveniat quacumque via. Quidam dicunt necessarium esse ut priori modo revocatio notificetur. Ita sumitur ex Sancii., dicta disp. 30, num. 13, et disp. 36, num. 9, qui non generaliter de privilegio, sed de revocatione jurisdictionis commissæ seu delegatæ loquitur, de qua forte est specialis ratio, quam modo expendere non est necesse. Præsertim quod etiam in illa materia plures auctores, quos ibidem refert, contrarium docent, et non sine gravi fundamento in jure et ratione. Quidquid vero sit in speciali casu jurisdictionis vel commissionis muneris per se ordinati ad regimen communitatis seu reipublicæ, loquendo generaliter de privilegio, non video fundamentum illius limitationis. Et ideo censeo hoc pendere ex voluntate revocantis, qui potest uno et alio modo facere revocationem, scilicet, vel per nuntium vel epistolam intimandam, ita ut aliter non ha-

beat effectum; vel absolute, ut quacumque ratione perveniat ad notitiam privilegiati, effectum suum faciat. Quod si de priori modo non constiterit, et revocatio absolute facta innotescat, præsumendum censeo posteriori modo esse factam. Ratio est, quia ad valorem revocationis non est necessaria acceptatio privilegiarii: nam eo invito potest privilegium revocari; ergo notitia solum expectatur ad vitanda inconvenientia quæ aliter sequi possunt. At vero ad hoc sufficit notitia quacumque via comparata; ergo sine fundamento alius modus præscribitur, sine jure vel ratione cogente. Nam ratio illa, quod res per quas causas nascitur, per easdem tolli debet, non multum urget, quia facilius est destruere quam construere, et ad acquisitionem privilegii per se requiritur acceptatio recipientis, ad revocationem vero sufficit voluntas revocantis. Ultimo poterat hoc loco tractari quibus modis impetratio privilegii nulla sit. Sed hoc sufficienter tractatum est in lib. 6, cap. 17, ubi de dispensatione disseruimus, et illius occasione de privilegio diximus, quia in hoc fere eadem est utriusque ratio. In superioribus etiam in hoc libro multa per occasionem tacta sunt, et ideo tam de privilegiis quam de tota lege humana hæc sufficiant.

